



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

29. An Episcopus ante adeptam possessionem & consecrationem possit
constituere Vicarium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

plus, & magnus numerus Clericorum, Ecclesiasticorum, Monialium, haud vero simile est, quod possit Episcopus munus suum adimplere absque Vicario generali; hinc inquam est, quod auctores plures dicunt, quod Episcopus non tantum potest, sed & debet ordinari Vicarium constituere, cuius opera adjuvetur. Pirh. *loc. cit.* citans Ugolin. *de off. Ep.* p. 1. c. 4. §. 6. num. 1. Unde & Sbroz. *cit. q. 46. num. 12.* ait: Respondetur, quod Episcopus semper dici possit constitutus in necessitate propter ingentes occupationes, in quibus Episcopale regimen & cura animarum versatur, & si haec necessitas attenditur, erit potissima causa constituendi Vicarium, &c. Atque ita jam in casu, ubi ob Dioecesis amplitudinem, aliasque occupationes & difficultates per se solum ea praestare nequeat, ratio naturalis id exigat, ut Justitiae, litigantibus, & statui Ecclesiastico per deputationem Vicarii consulatur. Engels *loc. cit.*

Quaestio 28. Episcopus in quo casu nequeat constituere Vicarium?

Respondeo: Episcopus captus à Turcis (idem est de infidelibus aliis quibuscunque; cum C. si Episcopus. de suppl. negl. Prælator. in 6. loquatur de paganis. Pax Jord. l. 12. tit. 1. num. 7. item de haereticis & schismaticis, ut Gl. in *cit. c. v. pagani*) non potest sibi constituere Vicarium; eo quod in isto casu tota jurisdictio devolvatur ad Capitulum, ac si sedes vacaret per mortem Episcopi. Sbroz. l. 1. q. 46. num. 4. citans plures. Pax Jord. *loc. cit. num. 6.* Rebuff. in *concord. rubric. de collat. §. teneatur. Mandol. in reg. 24. cancell. q. 6. n. 13.* Dominic. & Franc. in *cit. c. Episcopi*. Extenditque hoc ipsum Pax Jord. *cit. num. 7.* ad Episcopum captum à fidelibus bello iusto, rationem desumens *al. hostes. ff. de capt. & postlimin.* Secus verò esse ait de Episcopo capto à fidelibus bello non iusto aut extra bellum; eo quod tunc non dicatur verè mortuus civiliter.

2. Quin etiam, si tempore captivitatis haberet Vicarium, cessaret illius officium; quia sicut procurator censetur revocatus per mortem Prælati, etiam si dominus litis sit effectus. Clem. *fin. de procurat.* sic etiam in casu praesente, in quo civilis mors æquiparatur naturali. Pax Jord. *loc. cit. num. 8.* Videtur hoc confirmari ex eo, quod si in isto casu, ut dictum, tota jurisdictio transeat ad Capitulum, & haberet se res, ac si sedes vacaret; Capitulum autem sede vacante non teneatur confirmare Vicarium Episcopi, & huius officium expiret, sic etiam in praesente casu.

Quaestio 29. An Episcopus ante adeptam possessionem Episcopatus & consecrationem possit constituere Vicarium?

Respondeo ad primum negativè: Sbroz. *loc. cit. num. 15.* Pax Jord. *loc. cit. num. 5.* citans Felin. *conf. 40. n. 71.* Abb. in *c. qualiter. de elect.*

2. Resp. ad secundum: Potest verò capta possessione ante susceptam consecrationem eundem constituere. Sbroz. l. 2. q. 23. num. 4. Pax Jord. *cit. n. 5.* citans Gl. in *Clem. c. si principalis. de rescrip. v. Episcop.* Pavin. *de potest. capit. sede vac. p. 1. q. 10. num. 6.* Sauch. *de matrim. l. 8. d. 27. num. 37.* Gavant. in *prax. v. Vicar. Episc.* num. 1.

Quaestio 30. An Episcopus possit constituere duos Vicarios generales, seu Officiales principales?

Resp. potest Episcopus (ubi Dioecesis magna

est, & unus non sufficit. Ventrig. *tom. 2. annot. 14. §. 1. num. 2.* vel ut expeditioni causarum facilius consulatur, ut Barbof. *jur. Eccles. l. 1. c. 15. num. 31.* Pirh. *loc. cit. n. 29.*) constituere Vicarios generales seu Officiales principales duos aut plures a se invicem independentes, sive singulos cum potestate & jurisdictione in solidum. Ita praeter jam citatos Azor. *instit. mor. p. 2. l. 3. c. 43. q. 4.* (ubi tamen ait, id posse Episcopum, si id consuetudine receptum fuerit) Pax Jord. *loc. cit. num. 24. juncto n. 27.* citans Ugolin. *de offic. Episc. c. 4. §. 6. n. 4.* Cuchum *instit. jur. can. tit. 8. de vicar. n. 4.* Sbroz. l. 1. q. 50. n. 1. juncto n. 5. citans plures alios. Non secus, ac plures constitui possunt Procuratores, Actores, Tutores, Curatores, Administratores. Sbroz. *loc. cit. n. 2.* & ex eo Pax Jord. *loc. cit. n. 25.* juxta l. *si quis. §. pluribus l. qui dicit ff. de procurat. c. duo de procurat. in 6.* Ac proinde per constitutionem secundi Vicarii non censetur revocatus primus, nisi tacite vel expresse colligatur aliunde mens constituentis revocare volentis primum. Pax Jord. *loc. cit. num. 28.* citans Rebuff. in *prax. de form. vicar. a. n. 202.* Quod ipsum tamen limitat Azor. *loc. cit.* ut nimirum procedat, ubi est consuetudo habendi plures Vicarios; si enim nulla talis sit consuetudo, & ab Episcopo in constitutione secundi Vicarii nihil dictum, ait, per constitutionem secundi censeri revocatum primum. Idem cum Azor tenet Cuch. *loc. cit.* apud Pax Jord. Porro censeri adhuc constitutos duos Vicarios generales, et si eorum unus resideat in civitate Episcopali, alter extra illam in Dioecesi, tenet Ventrig. *loc. cit.* exemplificatque hoc ipsum in Vicariis Toletanis, quorum unus resider Toleti, alter Compluti. Econtra, ut duo Vicarii generales constituti censeantur, requirit Pirh. ut ambo constituti sint in loco, ubi sedem habet Episcopus, cum generalis & principalis Vicarius dicatur ille, qui constitutus est cum generali potestate ad omnia loca, seu totam Dioecesim, & ad universitatem causarum in civitate cathedrali, in qua residet Episcopus. Idem tenet Garc. p. 5. c. 8. num. 36. ubi: *Insertur Vicarium, quem ponit Archiepiscopus Toletanus in civitate Toletana, non videri Vicarium generalem & principalem, si non est positus cum potestate generalis ad totam Dioecesim, nec etiam Vicarium Compluti, cum non sint positi ad totam Dioecesim, nec in civitate, ubi est Sedes, quamvis generales appellentur.* Item num. 39. ubi ait: *Tunc tantum Vicarius generalis positus in oppido dioecesis est generalis, quando in civitate non est alius Vicarius generalis, sed est in illo oppido causa majoris commoditatis, ut videmus in Episcopatu Caleguriense, in quo Vicarius residet Lucronii.* Idem tenet Flores de Mena, quem citat Garc. *loc. cit. n. 38.* dum ait: *Revera solus Vicarius, seu Vicarii generales positi in civitate, & non positi extra, etiam si habeant generalem commissionem ad totam Dioecesim, sunt principales.*

2. Notandum etiam hic, quod habet Card. de Luca *de benef. d. 10. num. 7.* quod dum in casu capitis quomam. de off. ordinar. duo sunt Episcopi in eadem Dioecesi, unus v. g. pro ritu graeco, alter pro latino, quilibet ex iis suum deputare possit Vicarium, quorum quilibet erit generalis, & unicus illi Dioecesi respectivè.

Quaestio 31. An Episcopus cogi possit ad constituendos plures Vicarios, dum plures Dioeceses unitas habet?

Resp. negativè. Pax Jord. *loc. cit. n. 39.* (qui etiam ait, id nequidem Episcopum posse,